



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

143. Expositio præcedentis parabolæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

diunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis prophetia Isaiaë dicentis: Auditum audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauferunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos, & dimittantur eis peccata. *Matth. 13. v. 13. 14. 15. Marc. 4. v. 12.*

III. Vestri autem beati oculi, quia vident; & aures vestrae, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetae & iusti cupierunt videre, quae videtis, & non viderunt; & audire, quae auditis, & non audierunt. *Matth. 13. v. 16. 17. Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Marc. 4. v. 13.*

MEDITATIO CXLIII.

Expositio precedentis Parabola.

I. **V**OS audite parabolam seminantis. Qui seminat, verbum seminat. Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit, quod seminatum est in corde ejus: hic est, qui secus viam seminatus est. *Matth. 13. v. 18. & 19. Marc. 4. v. 15.*

II. Qui

II. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuo cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. *Matth. 13. v. 20. & 21. Marc. 4. v. 16. & 17.*

III. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & sollicitudo seculi istius, & fallacia divitiarum, & circa reliqua concupiscentiae introeuntes, suffocant verbum, & sine fructu efficitur. *Matth. 13. v. 22. Marc. 4. v. 18. & 19.*

IV. Qui vero in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum adfert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum. *Matth. 13. v. 23. Marc. 4. v. 20.* Quod in bonam terram cecidit, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. *Luc. 8. v. 15.*

MEDITATIO CXLIV.

Parabola III. Tritici & Zizani- norum.

I. **A**liam parabolam proposuit IESUS, dicens: Simile factum est regnum caelo-